DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... A...

Franciscus : de Abdua, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

Sanctiſſimo Domino Noſtro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

FRANCISCUS DE ABDUA

FELICITATEM.

CUM *Tibi*, BEATISSIME PATER, *brevem hanc nuper a me habitam de Auguſtiſſima* TRINITATE *Ora-*

Digitized by Google

tionem ſiſto, veterem in hoc conſuetudinem ſequor. Quod nimirum publici juris facta in lucem prodeat, quæcunque demum ea ſit, ſi ad alios aliquid, tum maxime ad Te videtur ſpectare, quem Principem contigiſſe ſibi præclariſſima hæc Urbs merito gloriatur, ceteræ nationes ſuſpiciunt, & venerantur; quod vero in tam ſublimi Catholicæ veritatis Myſterio verſetur, hinc unice ad Te Pontificem Summum pertinere illam nemo non videt. Duplici igitur nomine tuus eſt tenuiſſimus hic labor meus; præter hoc nihil ſane erat in illo, quod mihi adderet animum, ut eundem ſanctiſſimo nomini tuo conſecra-

Digitized by Google

ſecrarem : addidiſſet tamen ſingularis illa, ac pene incredibilis humanitas tua, qua immortalem ceteris tuis egregiis virtutibus gloriam concilias, quæ mihi ſæpe ad ampliſſimam Majeſtatem tuam accedenti clementiſſime aperuit aditum, qua denique ſpero me nunc leviſſimum hoc animi mei, obſequii, & reverentiæ maximæ argumentum deferentem excipias. Hujus autem ſpei fructum ſatis uberem conſecutum me arbitrabor, ſi, cum dederis ſanctiſſimos pedes tuos exoſculari, Apoſtolica me benedictione tua auctum, cumulatumque dimiſeris.

Digitized by Google

Digitized by Google



ORATIO.

MAGNA hæc eſt, BEATISSIME PATER, Chriſtiani nominis gloria, quod non aliis datum ſit tam prope ad ſublimiſſimum, & ab ſæculis abſconditum TRINITATIS arcanum accedere, quantum conceditur nobis, quotquot in Eccleſia Chriſti Sanguine conſecrata cenſemur: Præclariſſima vero illa, & abunde cumulata, quæ nobis ex illo triplici virtutum dono exſurgit, quas tunc ex ipſo regenerationis fonte hauſimus, cum, Deo reconciliati per mortem Filii ejus, in novos ho- *Ep. ad Rom. 5.*
mines conformabamur. Tanti profecto nobis non erat, quanti procul dubio æſtimandum eſt, eo progredi Deo revelante, quo mens

Digitized by Google

mens humana ſuis ipſa viribus devenire nequaquam poteſt, niſi illud etiam pro ſua immenſa liberalitate Deus idem impertiebat, quo altitudinem divitiarum, & ineffabilem illius majeſtatem ſuſpicientes merito honore coleremus. Quemadmodum enim non alias arctiori vinculo cum illa Beatiſſima TRINITATE conjungimur, quam cum per Fidem Æterno Patri, per Spem Unigenito ejus Filio, & Spiritui Sancto per Caritatem, quo nihil nobis felix magis, fauſtumque eſſe poteſt, conſtantiſſime adhæremus: haud ſecus non aliunde, quam ex hoc vere admirabili, ac prope Divino virtutum complexu ſperandum illud erat, unde tam ſanctum, tamque excelſum Myſterium eo, quo par eſt, obſequio, & reverentia proſequeremur.

D. Auguſt. in Enchir. cap. 3. & 4.

Et ſane præclarior nulla excogitari laus poteſt Deo Optimo Maximo deferenda, quam ſi de ipſo digna ſentiamus, & humili corde confiteamur, quæ, cum longe humanæ mentis intelligentiam exſuperent, minime datum eſt aut perfecte cognoſcere, aut oratione complecti. Tum enim totam, quanta eſt, ſupremi rerum omnium Conditoris majeſtatem pro noſtra tenuitate prædicamus, quæ immenſa, & nullis circumſcripta finibus minime intelligeretur, ſi eam cogitationes animi

no-

Digitized by Google

noſtri adæquarent. Tunc inacceſſibilem Divinitatis lucem aſſerimus, quæ talis, ac tanta nunquam haberetur, ſi liceret nobis, quoadusque in terris degimus, mentis oculos libere in eam intendere. Hoc autem præcipuum eſt TRINITATIS decus, hæc maxima gloria, ut incomprehenſibilis ceteris omnibus, ſibi uni nota ſit. Deum eſſe, qui nos, nobiſque cetera, quæ in hoc Cœli ambitu continentur, crearit, eundem æternum, ſapientiſſimum, omnipotentem, unum etiam vel Ethnici faſſi ſunt, quod nimirum ea omnia, quæ videmus, talem, ac tantum clamitent Opificem, & Auctorem. Quid vero in hac Univerſitate rerum invenire eſt, quod nos, præter unam fidem, æternæ Divini Verbi generationis, Amoriſque ſpirationis admoneat? Merito igitur in Fide TRINITATIS gloriari nos licet, quam tamquam peculiare, & inter cetera præſtantiſſimum a Deo munus accepimus; unde etiam tanto major ipſi honor accedit, quanto in ipſo majus eſt, eſſe Patrem, quam Dominum. Merito etiam, ac nunquam ſatis de illa ſolliciti ſumus, ut quæ ad ſalutem omni credenti data eſt, caſte eam, quantum eſt in nobis, integreque ſervemus.

Cyrill. lib. Theſ. c. 6.

Ep. ad Rom. 1.

Hoc autem certum erit ſinceræ, incorruptæque Fidei argumentum, ſi per eam in

ſpem

Digitized by Google

ſpem venturæ felicitatis erigimur, quæ in eo
D. Aug. Tract. 36. poſita eſt, ut cominus immenſam Auguſtiſſimæ TRINITATIS majeſtatem intueamur, quam nunc bene ideo credimus, quod non capimus, & alacri animo palam profitemur.
Ep. ad Rom. 5. An vero tam parvi animi eſſe videamur, ut, cum, juſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum, non ideo ſpem concipiamus filiorum illius, tamquam cœleſtem hæreditatem conſecuturi? Fidelis Deus in omnibus, quæ ultro pollicitus eſt credentibus in eum, qui cum æternæ ſalutis ſpem nobis oſtenderit, ea decipi neminem patitur, adeo ut nec ſatis firma in illo fides appareat, cui ſemel in Deo concepta ſpes facile ex animo dilabatur. Recordemur, quæſo, immenſam pietatem illius, & ea memoria repetamus, quæ pro ſua Divina munificentia innumera, & maxima in nos beneficia contulit, ut inde, quam in tuto poſita ſpes noſtra ſit, plane, aperteque intelligamus. In eo nempe fiduciam animi noſtri collocamus, qui, cum antea non eſſemus, ad imaginem nos ſuam, & ſimilitudinem condidit, qui, forma ſervi accepta, captivos eoſdem in libertatem vindicavit, qui demum nobis abundantiam gratiæ, donationis, & juſtitiæ elargitur, ut vivificet in ſanctitate. Quid porro tam magnum eſſe poterit,

rit, quid tam ſalutare nobis, quod ab eo, a quo talia, ac tanta accepimus, non expectemus?

Illud unum reliquum eſt, ut Beatam illam TRINITATEM, cui non uno nomine nos devinctos eſſe novimus, quam credimus, & ſperamus, eandem perpetua, ardenti, & puriori, qua poſſumus caritate diligamus. Nihil enim profuturum nobis eſt, aut humili aſſenſione ea credere, quæ Deus aliquando manifeſtavit, aut fiduciam omnem, & gloriam ſpei uſque ad fidem firmam in revelationem retinere, niſi & Fidei ſimul, quam certam habemus, & Spei, in qua vivimus, ſincera indeficiens caritas, quæ vinculum eſt perfectionis, accedat. Neque hinc inani metu deterreamur, ad imbecillitatem animi noſtri reſpicientes, qui tanto per ſe nunquam inflammari ardore queat, quantum ratio ipſa Divinæ colendæ Majeſtatis videtur poſtulare. In hoc ſiquidem eximiam erga nos dilectionem ſuam oſtendit Deus, quod, cum, notas faciens in Gentibus divitias gloriæ ſuæ, ſeipſum nobis præbuit; quem diligeremus, tum illud etiam, unde diligeremus; dedit ſcilicet ſe ipſum cum Spiritu Sancto, per quem Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Tanto igitur, & tam ſingulari munere

Ad Corinth. 6.

Ad Coloſſ. 3.

Ad Coloſſ. 1.

re

re ornati, ne illud temere abjiciamus, & quibus jure lætandum eſt, quod unam Dei, eandemque communem tribus Perſonis naturam per fidem intelligimus, qui ad illam vota omnia, Spes, & cogitationes intendimus, ii pariter in perpetua illius dilectione ambulemus: tum demum exiſtimantes conformes nos fieri TRINITATI, & idoneos, qui illam beati aliquando abſque ullo integumento facie ad faciem videamus, cum eandem triplici illo virtutum dono, Fide, Spe, & Caritate tamquam merito, & unice digno honore venerantes demeremur.

D. Thom. 3. diſt. 13. q. 1. art. 5.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google